

Breue Julij Secūdi

Pont. Mar. ad Reges Duces ⁊
 principes christianos: in quo cō
 tinentur portiores: licet plures sint
 alie cause priuationis Cardina
 liū Hereticorū Scismaticorūq;





874 860 AA

26 11 96

BN-00169674-2

Julius Papa. ij.

Carissimo in Christo filio nostro Maximiliano
Electo Imperatori semper Augusto.

Quoniam in Christo fili noster Salutem et Apostolicam benedictionem. Hodie in publico Consistorio matura prius deliberatione cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinibus habitis Bernardinum Episcopum Sabinen. Guill. Episcopum Prenestinum. Franciscum titulis. Mereti et Archilei: ac Rhenatum de Priet. sancte Sabine presbiteros Car. galero Cardinalatus/honore titulis/instituimus quos Metropolitani et alii ecclesiis quibus presunt: Necnon Monasteriis dignitate etiam Episcopali et aliis beneficiis ecclesiasticis quibusque in titulum vel commendam seu quouis alio modo obtinet/privauimus: Et illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles declaramus/ab omnibusque Christi fidelibus euitari/et pro Cardinalibus deinceps non haberi et nominari debere decreuimus: tamque hereticos scismaticos et criminis lese maiestatis reos/iustissimis quidem necessariisque de causis. Quas et si credimus. M. tue magna ex parte notas esse vt tamen notiores sint rem a principio repetemus. Liberata per nos Tyrannide incluta Ciuitate nostra Bononie/et ad verum iusticie cultum pacisque amenitatem redacta/recuperatis etiam Quinqz opulenti Romadiole Ciuitatibus: quas Veneti a Patri Ciuitatem beati Petri distraxerant/et de facto atque indebitè occupabāt: S. R. E. ad quam pleno iure pertinet redigendam putauimus: vt omnibus rebus in regione illa pacatis/et ad iusticie cultum redactis/citius et libere cogitationesque nostre versant inchoare/et continuare possemus. Quod negotium paucis diebus videbatur confici posse: nam post priuationem Alphonsi Estensi Ciuitatis illius occupatoris Consistoria liter factam/ Mutinensi. se ab obedientia eius subtraxerāt/ et Ferrariensi. nos et nostros auide expectabāt: vt fructu Ecclesiastice libertatis quibus admodum et Bononiensi. et alij populi S. R. E. immediate subiecti persui possent. Oderāt enim Alphonsum ipsum: qui oneratis quotidie noua onera imponebat: vectigalia augebat: et ipsorum sanguinem emun-

gebrt. Ab vrbe itaq; Roma Bononiam versus inter ingressi/omnes
Venerabiles fratres nostros S. R. E. Car. monuimus/ vt nos pro
tante vrbe recuperatione proq; augēda dignitate sancte Apo. sedis
cunctes comitarentur vel sequerentur: quod maior et sanior pars eorum
promptissime et obedientissime fecit: Quinq; tantū exceptis / qui di
uerso ab alijs pfecti itinere florentiam primo / deinde Pisas / et in
Lombardiam se cōtulerunt / licet a nobis nulla iniuria affecti / sed hoc
noribus et prouentibus aucti / et ad veniendum Bononiā mitissima
litteris nostris / ac nuncijs vocati fuissent. Vbi vero Mediolanū per
uenerunt / in nos conspirātes / et de Concilio indicendo / perniciosos
Scismate inchoando consilia ineuntes / Oppugnatores S. R. E. bo
tari vehementer ceperunt / ad psequendū nos / occupandūq; ac lace
randū eiusdem S. R. E. Ciuitates: Cuius rei certissimū et manifestiss
mum argumentū fuit / qd cum nos post rebellionem Bononiensē deri
mentūq; exercitus nostri Arimini essemus / nec nobis facultates vllas
suas vt alij veri boniq; Car. fecere / p resarciendis tot damnis obtu
lerunt / nec vllum cōsolatiōis genus adhibuerunt: sed tāq; rem perpe
tissimā cōsecuti / Nos ad Concilium per eos temerario ausu / perpe
ramq; indictum vocare ausi sunt / Citationis cedulis in valuis eorū
in quibus residebamus / et pluribus alijs locis affixis vt augeretur mo
rorem nostrū. Que et si erāt graui animaduersione digna / nos tamen
non cōmouerunt: In bono enim malum vincere cogitabam. Itaq;
in almā vrbem reuerſi / de recuperatione Bononie / et inchoanda salu
ctissima expeditione cepimus cogitare: Car. vero ipsos nec verbo nec
scripto lesimus aut vlla alienati ab eis animi nostri signa dedimus:
pausi enim brachijs / et obuijs vlnis / eos ad nos redeuntes / et veniā
erroris petentes / recipere parati eramus: de eorum reditu magnum
gaudium percepturi / iuxta doctrinā saluatoris nostri / per parabola
filij prodigi in Euangelio introductā. Sed Cardinales predicti in re
probū sensum dati / lenitatem et mansuetudinem nostrā p metu in
terpretātes / mala malis quotidie addiderūt / Principes Christianos
contra nos incitare non destiterunt. Complures etiā diuine legis po
ritos / et iuris Pōtificij ac ciuilis interpretes ad se allicere sunt conati
adeo vt nobis necesse quodammodo fuerit / cum consilio eorum con
Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Car. illos monere / sub pui
uationis Pilei et alijs grauioribus penis / vt Capiti se reunirent / ad
nos redirent / et erroris veniā peterent. Qua in monitione etiā vltor
clementes fuimus. Terminum enim Quinquaginta dierum illis pro

firm^{us} in quo vel ab India redire quodāmodo potuissent. Et deinde
non minori clementia prescriptum tempus ad. xv. et postremo ad dies
Octo alios prorogauimus. sacroq^{ue} Collegio eorūdem S. R. E. Car.
permisimus vt fidem publicā et saluum conductum Scismaticis ip̄is
darent: Promitterentq^{ue} si redirent et veniam peterent q^{uia} nos in eadē
dignatione ac gratia eos reciperem^{us} / qua ante eorū a nobis discessum
erāt. Expectabamus q^{uia} tāta mansuetudine allecti / et impunitate erro-
ris pposita essent ad nos redituri. Verum cum iam vltimi termini
finis instaret / non ad nos sed versus Pisas cum armatorū presidio
sunt pfecti: celebraturi ibi detestabile et damnatū eorū Conciliabulū /
si florentinus populus / qui multo sanguine ac sudore maximiq^{ue} la-
boribus ac dispēdijs Ciuitatem illam recuperauerat / eos et armatos
milites in ea Ciuitate recipere voluisset. Ausi etiā sunt Seguntū vsq^{ue}
Citacionis cedulas mittere / si forte gentem illam catholicam veneno
tam puitiosi Scismatis possent inficere: Sed deo volente / hac quoq^{ue}
spe et cogitatione frustrati sunt. Carissimus em̄ in Christo fili^{us} noster
Ferdināndus Aragonū et vtriusq^{ue} Sicilie Rex catholicus / eos q^{ui} hmoi
affixionis testes fuerūt / Laicos videlicet p laicos / Ecclesiasticos v^{ero} p
venerabilem fratrem Jo: Episcopū Brittonorien. nostrū et Aposto-
lice Sedis in Hispanijs Nuntium capi et puniri mādauit: et prout
ille etiā nostro permissu fecit. Quib^{us} rebus cognitis / nos cōsiderātes
q^{uia} error cui non resistitur approbatur: et q^{uia} mala nascētia priusq^{ue} eorū
roborent facilius euelluntur / q^{uod}q^{ue} de non ludicris et parui momenti
rebus / sed vnitāte sancte Ro. Ecclesie / pace et quiete totius reipublice
christiane agit / in eosdem Scismaticos qui benignitate nostra abusi
sunt / et maledictionē p benedictione voluerunt / gladium seueritatis
aplice exeruimus / et eosdem priuauimus vt preferūt. Pauati em̄ atq^{ue}
exauctorati minus reipub. christiane nocere poterunt: et alij horum
pena admoniti consilia in melius vertent. Nullusq^{ue} posthac inueniet
qui talem insaniā imitari velit: Que omnia Maiestati tue significāda
duximus vt Bernardinū / Buill. franciscum / et Rhenatum p̄dictos
deinceps nec pro Cardinalibus habeat / nec Cardinales scripto vel
verbo appellet / sed eos a se reiciat / et a suis subditis vbiq^{ue} faciat eui-
tari: Quod Maiestatem tuam pro sua maxima erga deum pietate et
sancte Ro. ecclesie deuotionē et caritate facturā nō dubitauim^{us}. Datū
Rome apud sanctū Petrū sub annulo piscatoris. Die. xiiij. Octob.
M. D. xj. Pontificatus nostri Anno octauo.

Sigismundus.
E iij



874.860

AA

J6.11.96

Similia

Carissimo in christo filio nro Ludouico Francorum Regi Christianissimo.

Carissimo in christo filio nro Ferdinando Araggonū & vtriusq; Sicilie regi catholico.

Carissimo in christo filio nostro Emanueli Portugallie & Algarbiorū regi Illustri.

Carissimo in christo filio nostro Henrico Anglie Regi Illustri.

Carissimo in christo filio nostro Jacobo Scotorū Regi Illustri.

Carissimo in christo filio nro Vladislao Hungarie & Bohemie Regi Illustri.

Carissimis in christo filiis nostris Joanni Regi et Catherine regine Navarre Ill.

Carissimo in Christo filio nostro Sigismundo Polonie Regi Illustri

Carissimo in christo filio nostro Joanni Dacie Regi Illustri.

Dilecto filio Nobili viro Carolo Duci Sabaudie.

Dilecto filio Nobili viro Leonardo Lauredanio Duci Venetiarum &c.



